UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Commentariorvm, Ac Dispvtationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI. vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Vnam esse speciem, aut qualitatem in Angelis plura repræsentantem plures authores dixerunt. c. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81000

Visual Library

dit vniuerſali, vt à ſingularibus abſtrahatur: inquantum intellectus ille cognoſcens à rebus cognitionem accipit. Si vero ſit aliquis intellectus à rebus cognitionem non accipiens, vniuerſale ab eo cognitum non erit abſtractum, à rebus, ſed quodammodo ante res præexiſtẽs: vel ſecundum ordinem cauſæ, ſicut vniuerſales rerum rationes ſunt in verbo Dei: vel ſaltem ordine naturæ, ſicut vniuerſales rerũ rationes ſunt in intellectu Angelico.

Ad ſecundum dicendum, quod cognoſcere aliquid in vniuerſali, dicitur dupliciter. Vno modo ex parte rei cognitæ vt ſcilicet cognoſcatur ſolum vniuerſalis natura rei. Et ſic cognoſcere aliquid in vniuerſali eſt imperfectius. Imperfecte enim cognoſceret hominem, qui cognoſceret de eo ſolum, quod eſt animal. Alio modo ex parte medij cognoſcendi. Et ſic perfectius eſt cognoſcere aliquid in vniuerſali, perfectior enim eſt intellectus qui per vnum vniuerſale medium poteſt ſingula propria cognoſcere, quam qui nõ poteſt.

Ad tertium dicendum, quod idem non poteſt eſſe plurium propria ratio adequata. Sed ſi ſit excellens. poteſt idem accipi vt propria ratio & ſimilitudo diuerſorum. Sicut in homine eſt vniuerſalis prudentia quantum ad omnes actus virtutum, & poteſt accipi vt propria ratio & ſimilitudo particularis prudentiæ, quæ eſt in leone ad actus magnanimitatis, & eius quæ eſt in vulpe, ad actus cautelæ, & ſic de alijs. Similiter in eſſentia diuina accipitur propter ſui excellentiã propria ratio ſingulorum quæ ſunt ea. Vnde ſibi ſingula ſimilãtur ſecundum proprias rationes. Et eodem modo dicendum eſt de ratione vniuerſali, quæ eſt in mente angeli, quod per eam propter eius excellentiam multa cognoſci poſſunt propria cognitione.

CONcluſio eſt, Angeli quo ſuperiores, per pauciores ſpecies eadem cognoſcunt.

## DISPVTATIO CCII.

## An plurium rerum poſſit eſſe vna ſpecies.

*Singularum rerum ſingulas ſpecies eſſe, dixerunt Scotus, & alij cap. 1.*

*Vnam eſſe ſpeciem, aut qualitatem in Angelis plura repræſentantem, plures authores dixerunt, cap. 2.*

### CAPVT I.

*Singularum rerum ſingulas ſpecies eſſe, dixerunt Scotus, & alij.*

SI cum ſententia communi ſupponamus, Angelum per ſpecies intelligere, vt videamus, an ſuperior per pauciores intelligat, neceſſe eſt prius examinare, an plurium rerum vna ſpecies indiuidua eſſe poſſit: in qua difficultate prior opinio ſit aſſerentiũ, non poſſe vnam & eandem ſpeciem eſſe plurium rerum. Ita docuerunt *Scotus in 2 diſt. 3. quæſt. 10. §. Iſta propoſitio, & §. Ad quæſtionem, Baſſolis quæſt. 3. §. Alia opinio, Richard. artic. 6. quæſt. 2. in 2. argumen. Sed contra maior quæſt. 6. concluſione 2. 3. & 4.* Cumque prædicti authores exiſtiment, omnium naturarum ſpecies eſſe à principio ingenitas angelo, decurſu autem temporis ſpecies indiuiduorum & ſingularium à rebus ipſis accipi, docent ſingularum naturarum, & ſingulorum indiuiduorum ſingulas ſpecies in angelo eſſe.

Probant vero primo, quia ſequeretur ex oppoſita ſententia, vnica ſpecie repræſentari poſſe infinita: nunc enim in ſupremo Angelo vel eſt vna ſpecies repræſentans omnes naturas poſſibiles ſpecie diuerſas, vel ſaltem multas ex illis: illa igitur poterit repręſentare omnes naturas inferioris ſpeciei: hæ autem ſunt infinitæ, quia ſub qualibet ſpecie infinitæ aliæ fieri poſſunt: ergo vna ſpecies poſset infinita repræſentare. Similiter de indiuiduis argui poteſt hoc modo. Si eſt ſpecies aliqua intelligibilis repræſentans naturam ipſam, & aliqua indiuidua illius, poterit infinita indiuidua repræſentare. Porro autem infinita, ſiue indiuidua eiuſdem naturæ, ſiue naturas eiuſdem generis nõ poſse eadem ſpecie repræſentari, probat Scotus, quia vbi pluralitas ſecundum numerum requirit perfectionem maiorem. infinitas ſecundum numerum requirit infinitam perfectionem: nam ſi, vt quis portet tot libras, neceſse eſt, habeat tantam virtutem, vt portet infinitas, oportet habeat infinitam: adde quod ſi eſset vna ſpecies repræſentans infinita ſaltem indiuidua, poſset angelus propria virtute omnia ſimul intelligere.

Secundo probat Scotus, vna qualitate nõ poſſe plura repræſentari, hoc argumento: vnica ratio cognoſcendi habet vnum obiectum adæquatum, ſub quo reliqua includuntur, ſed vna ſpecies, ſeu qualitas non poteſt habere vnum obiectum adæquatum continens ſub ſe reliqua, ſi per illam omnia creata repræſententur, vt quidam affirmant: ergo nec vna ſpecies omnium creaturarum, nec vnus habitus ad omnia creata intelligenda, ſicut aſseruit Henricus, eſse poteſt.

Tertio, nihil eſt principium cognoſcendi aliud, niſi ſit ratio illius, vel rationem eius contineat, ſed vna ſpecies non poteſt eſse huiuſmodi, quia non poteſt continere rationes tot naturarum in ſe, ergo non poteſt eſse principium cognoſcendi plura.

Quarto idem non poteſt aſſimiari pluribus diuerſis inter ſe: ergo vna qualitas nõ poteſt eſse ſimilitudo & ſpecies tam variarum naturarum.

### CAPVT II.

*Vnam eſſe ſpeciem, aut qualitatem in Angelis plura repræſentantem, plures authores dixerunt.*

MVlto magis communis, & verior ſententia eſt, quæ docet poſse vna, & eadem numero ſpecie plura diuerſa repræſentari, & huiuſmodi ſpecies Angelis conceſsas fuiſse. Opinio hæc fuit *Alberti lib. de quatuor coæuis 1. part. q. 5. art. 12. poſt medium. Aegidij in 2. d. 3. 2 parte diſtinctionis q. 2. art. 2. dub. 3. & 4. Capreol. q. 2. art. 1 concluſ. 7. & art 3. ad argumenta Scoti contra illam Thom. de Argentina quæſt. 1. art.*

*Ferrarienſ. art.4.parte 2.artic. concl.3. Ferrar.2.contra gent.cap.98.* §.*Tertia concluſio.* Fauet etiam *Henricus quodlib.5.q.14.* cum aſſerit, eſſe vnicum habitum in intellectu Angeli, quo inſtructus intelligit vniuerſa, quem licet non appellet ſpeciem, non incongrue ita vocari poteſt: nam illa qualitas, quæ intellectum inſtruit in actu primo ad intelligendum, ſpecies per modum habitus repræſentans nuncupari poteſt, vt diſput.43. cap.7. de lumine gloriæ notauimus. Quocirca Scotus contra Henricum etiam argumentatur, vt probet, vna qualitate non poſſe plura repræſentari. Fauet etiam *Bonauent. in eadem diſtinct.3.parte 2 diſtinct.art.2. quæſt.1. ad 3.* vbi concedit per vnam ſpeciem cognoſci naturam ſpecificam, & omnia indiuidua.

*Henricus.*

*Bonauent.*

4. Præcipuum autem huius ſententiæ fundamentũ eſt huiuſmodi, ſi non eſt aliqua manifeſta contradictio, non eſt cur dicamus fieri non poſſe, vt vna qualitate & ſpecie plura repræſententur: quod ſi fieri poteſt, id quod maioris perfectionis Angelo denegare non debemus, ita, vt quo perfectiores Angeli ſint, per pauciores ſpecies intelligant. Nam quamuis hæc ratio non probet; id eſſe neceſſarium, demonſtrat tamen maximè congruum, & perfectiſſimæ naturæ ſpirittali conſentaneum eſse.

*Occurritur argumentis Scoti.*

Porro non implicare cõtradictionem id, quod diximus, manifeſte apparebit, ſi argumenta Scoti diſſoluamus. Quo etiam fiet, vt fundamenta opinionis illius, ſimul euertamus. Primum argumentum erat, quia ſequeretur, per vnam ſpeciem repræſentari poſse infinitas naturas. Reſpondeo tamen primo, licet concedamus, per vnam qualitatem repræſentari poſſe plures naturas, non propterea ſequitur, repræſentari poſſe infinitas naturas: quia quamuis repræſententur tres, aut quatuor, non ſequitur repræſentari poſſe omnes poſſibiles inferiores naturas, quas, inquit Scotus, eſſe infinitas; quia poteſt ſpecies ita eſſe adæquata tribus aut quatuor naturis, vt repræſentet eas tantum: ſequeretur autem poſse repræſentare infinitas inferiores, ſi eo ipſo quod ſuperiorem repræſentat, inferiorem repræſentaret: quod non contingit.

Secundo dico, non conſtare, an ſint poſſibiles ſpecies infinitæ verſus infimum, vt notaui ſupra diſput.106.cap.4. etiamſi non ſequatur abſurdum; aliquid, ſi dicamus verſus eam partem infinitas eſ-
5. ſe poſſibiles. Tertio pronuncio, non eſse impoſſibile, vna qualitate creata & finita ſecundum eſſentiam repræſentari infinitas rerum naturas ſpecie diuerſas, vel indiuidua eiuſdem naturæ. Nam quemadmodum per vnam ſpeciem, aut qualitatem recreatam repræſentatur Deus, qui eſt ſecundum eſsentiam infinitus, nempe aut lumine gloriæ, aut ſpecie impreſſa, quæ fieri poteſt, aut viſione ipſa, quæ eſt expreſsa repræſentatio, quæ omnia deducuntur ex ſupra dictis in tota q.12. ita etiam non implicat contradictionem, vna ſimplici qualitate repræſentari infinitam multitudinem aut indiuiduorum in eadem natura, aut diuerſarum naturarum. Et ſi vrgeas hac ratione, vt qualitas repræſentet vnam naturam, requiritur aliqua perfectio: vt repræſentet duas requiritur maior: ergo, vt repræſentet infinitas, requiritur infinita;
6. quæ fieri non poteſt. Reſpondeo hac forma arguendi ſolum colligi infinitum augmentũ, quoties augmentum fit vniuocè in eadem forma ſecundum intenſionem, vel extenſionem quantitatis. At ſit augmentum fiat in diuerſa natura, certè non ſequitur, ſed hoc ſolum tandem colligitur, ad repræſentandam infinitam multitudinem requiri ſpeciem alterius naturæ, ſeu proprietatis, quod non inficiamur, vt iam oſtendi 1.tom. diſput.50. cap.5. dixi, alterius naturæ, ſeu proprietatis, quia etiamſi non diceremus, eſſe diuerſæ naturæ ſecundum ſpeciem, ſufficeret dicere, eſſe numero diuerſam ab ea, quæ repræſentaret finita, ſed habere diuerſum modum: quamuis hoc intelligendum eſſet de ſpecie, quæ infinita indiuidua eiuſdem naturæ repræſentaret.

Illud etiam, quod addidi primo argumento, parum probat: quia quamuis aliqua ſpecies intelligibilis repræſentaret, infinita, non liceret colligere, fore infinitæ perfectionis, vt patet ex dictis. Et quidem non repugnare infinita actu ſimul cognoſci, oſtendimus ſupra diſput.49. Præterea licet daretur ſpecies actu infinita repræſentans in actu primo, non propterea eſſet concedendum omnia illa ſimul actu poſſe cognoſci. Nam repræſentatio illius ſpeciei non eſſet talis naturæ, vt in ea, quaſi in ſpeculo res omnes viderentur. Nec enim intellectus, quaſi conuerſus ad ſpeciem intelligibilem in ea intuetur, quæ in illa dicuntur repræſentari, ſed illa diceretur repræſentare res in actu primo, vel vt alij loquuntur, per modum habitus, quia eſſet principium cum intellectu eliciendi cognitionem ſingulorum, & ita diſtigueretur ab ipſo verbo aut cognitione, quod verbum, aut cognitio eſt veluti actualis repręſentatio; ſpecies autem eſset veluti habitualis: cumque cooperatio intellectus cum ſpecie ſit limitata, hinc fit, vt ſpecies impreſſa plura repræſentet per modum habitus, quam intellectus actu per il-
lam cognoſcat. Concedit tamen Caietan. in hoc 7.
artic. poſſe Angelum per vnam ſpeciem plura ſimul intelligere, ſed non omnia. Vtrum vero poſſit omnia, an non, ita facilè definire non poſſumus. Hoc tamen certum ſit, poſſe eſſe tantum numerum eorum, quæ vna ſpecie repræſentantur, vt non poſſint ſimul cognoſci, quia virtus intellectus ad vtendum ſpecie limitata eſt.

Secundum augmentum, pro ſententia Scoti erat, vna ſpecies debet habere vnum obiectum adæquatum, &c. Reſpondeo, non opus eſse, vt vna ſpecies habeat vnum obiectum adæquatum ſecundum aliquam rationem vniuocam; ſed pro obiecto adæquato eſse poteſt vniuerſa illa multitudo rerum, quæ ſpecie repræſentantur, vt viſus habet pro obiecto colorem, & lucem, quæ non conueniunt in vna ratione adæquata, & vniuoca, vt ſupra diſput.7. cap.5. notauimus. Idem eſt de ente, quod ſecundum totam latitudinem analogiæ ſuæ eſt obiectũ intellectus. Quocirca non vi-
deo, cur Caietan. in hunc artic. concedat, reſpe- 8.
ctu cuiuſcumque ſpeciei intelligibilis eſse vnam rationem formalem obiecti adæquatam, in quam conueniunt omnia, quæ per illam ſpeciem repræſentantur. Optimè tamen docet, eſse vnum obiectum, quod ſi præcipuum inter reliqua, & continens illa; id quod etiam dixerat Capreolus art.3. citato in ſolutione primi argumenti Scoti, contra ſeptimam concluſionem. Quare *Ferrar.2.cont.gent. cap 98 §. Ad euidentiam eorum*, plane aſſerit, eſse poſſe vnam ſpeciem plura repræſentantem, quæ non conueniant in vnam rationem adæquatam; in §. autem *Ad huius*, ſolum affirmat, fieri etiam



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

poſſe, vt plura obiecta per vnam ſpeciem repræſentata in vnam rationem cómunem conueniant, quod non negamus. Cæterùm quamuis concederemus plures res, quæ repræſentantur, vna ſpecie, debere in vnam communem rationem conuenire: argumentum Scoti ſolum contra Henricum probaret, non poſſe eſse vnam ſpeciem, ſeu qualitatem reſpectu omnium rerum intelligibilium, quia omnes non poſſunt in vnam communem rationem conuenire: at prædicta ratio certè non probat, non poſse plures res eadem ſpecie repræſentati, quia plures poſsent in vnam communem rationem conuenire.

Tertium enim argumentum Scoti nihil probat; vnum enim poteſt eſse ratio cognoſcendi aliud dupliciter. Primum quatenus prius cognitũ
9. eſt, & hoc modo rectè docet Scotus, id, per quod aliud cognoſcitur, debere eſse aut rationem illius, aut illud formaliter continere: ſic autem ſpecies non eſt ratio cognoſcendi obiectum, quod repræſentat: quia neque eſt ratio illius, neque aliud formaliter in ſe continet. Deinde vnum eſt ratio cognoſcendi aliud, non prius cognitum, ſed vt ſpecies illius, quatenus eſt principium eliciendi cognitionem illius rei, vel quatenus eſt ipſa actualis repræſentatio cognitionis: & hoc modo non debet in ſe formaliter habere illud, quod facit cognoſci, nec debet eſse ratio illius, ſed ſatis eſt, ſi illud repræſentet. Quare etiam ſi vna ſpecies expreſsa, aut impreſſa multarum rerum ſit, non ſequitur, eam in ſe continere formaliter rationes diuerſarum rerum, aut eandem eſſe rationem formalem ipſarum: hoc autem in omni opinione manifeſtum eſt. Quis enim dicat, ſpeciem hominis eſse hominem, aut eiuſdem rationis cum homine? & ſic de alijs.

Hinc etiam ſoluitur ratio quarto loco adducta in confirmationem prioris ſententiæ. Namque duobus modis vnum poteſt eſse ſimilitudo alterius, altero modo ratione qualitatis, aut formæ eiuſdem rationis, quæ dicitur ſimilitudo de ſecundo genere relationum, qualis eſt inter duo alba: altero modo poteſt eſſe vnum ſimilitudo alterius, cum tamen ſint diuerſæ omnino naturæ, ea ſolum ratione, qua vnum alterũ repræſentat, cognitione nimirum, aut principio cognitionis. Priori modo repugnat, vnam qualitatem, aut rem pluribus aſſimilari; & ita repugnat vnum ſimilitudinem gerere plurium rerum, quia idem non poteſt habere qualitatem, aut formam eandem cum forma & qualitate plurium. Poſteriori autem modo non
10. repugnat, eandem qualitatem eſse ſimilitudinem multorum: quia eadem qualitas poteſt plura repræſentare, vel actu, vt ſpecies expreſsa, vel habitu, ſicuti impreſſa, eo quod hæc repræſentatio non ſit ſecundum identitatem in forma.

## DISPVTATIO CCIII.

## An quo ſuperior Angelus eſt, eo per pauciores ſpecies intelligat.

*Superiores Angelos non intelligere per pauciores ſpecies exiſtimarunt Scotus & Baſſolis, c.1.*
*Angelos ſuperiores non ſolum Hierarchia & ordine, ſed etiam natura intelligere per pauciores ſpecies Thomiſtæ dixerunt, c.2.*
*Duæ aliæ Scholaſticorum ſententiæ, c.3.*
*Quid in hac re ſentiendum ſit, c.4.*

### CAPVT I.

*Superiores Angelos non intelligere per pauciores ſpecies, exiſtimarunt Scotus & Baſſolis.*

VAria ſunt Scholaſticorum placita in præſenti controuerſia, cum tamen nullus eorum certo aliquo fundamento nitatur. Referam igitur ea ſigillatim, & vltimo tandem nihil certi in hac re definiri poſſe, demonſtrabo. Prima ſententia fit Scoti & Baſſolis locis allegatis ſuperiori dubio, *Scotus.* qui affirmant, Angelos ſuperiores non intelligere per pauciores & vniuerſaliores ſpecies, *Baſſolis.* idemq; aſſerere debet Ricardus, qui ſentit, per vnam ſpeciem non poſſe plura repræſentari: allegantur etiam pro hac opinione quotquot dixerunt, Angelos accipere ſpecies à rebus, cum tamen ex ipſorum ſententia inde non ſequatur, quoniam illi ſolum dixerunt, ſpecies rerum ſingularium & futurarum accipi à rebus & earum, quas Angeli non cognoſcunt à principio: conceſſerunt tamen ſpecies Angelis congenitas earum naturarum, quas ab initio cognoſcunt, in quibus quaſdam eſſe vniuerſaliores exiſtimare potuerunt. Fundamentum huius ſententiæ nullum aliud eſſe poteſt, niſi quia vna & eadem qualitate non poſſunt plura repræſentari. Nam ſi poſsunt, non video, qua certa ratione negari queat, ſuperiores Angelos per pauciores ſpecies intelligere. Cæterum cum ſuperiori diſput. oſtenſum ſit, eadem qualitate indiuidua poſſe plura ſimul repræſentari, non video aliquid obeſse, quominus ſuperiores per pauciores ſpecies intelligant. An vero hoc ita eſse, aliqua etiam ratio demonſtret, inferius dicemus.

### CAPVT II.

*Angelos ſuperiores non ſolum Hierarchia & ordine, ſed etiam natura intelligere per pauciores ſpecies Thomiſtæ dixerunt.*

COmmunis inter Thomiſtas opinio eſt, quam S. Thom. in hoc art. in ratione ſuæ concluſ. *S.Th.* indicauit, & plane ſequuntur Caietan. & recentiores *Caiet.* Theologi in hunc artic. & *Capreol. in 2. diſtinct. 3. quæſt. 2. art. 1. concl. 8.* *Capr.* Angelos non ſolum Hierarchiæ ſuperioris & ordinis, ſed etiam excellentioris naturæ intra eandem Hierarchiam, & ordinem per pauciores ſpecies intelligere: quam ſententiam confirmant ex *Dionyſ. 12. cap. de cæleſti Hierarch.* vbi inquit, ſuperiores Angelos habere ſcientiam magis vniuerſalem, quam inferiores: & ex libro de cauſis apud Ariſtot. vbi in 10. propoſ. hæc opinio expreſsa eſt. Et demum ratione, quia aut dicendum eſt, omnes Angelos habere ſpecies æquè vniuerſales: quod videtur falſum, cum perfectior Angelus perfectius debeat intelligere, quam inferior, atque adeo per ſpecies magis vniuerſales, aut ſi aliqui debent habere ſpecies magis vniuerſales, quam alij, debent eſse ſuperiores non ſolum in ordine & Hierarchia, ſed etiam in natura: id quod ratio quoque S. Thomæ confirmat: nam quo perfectior eſt aliqua natura intellectualis, eo eſt Deo magis ſimilis in modo cognoſcendi, & perfectione intellectionis: perfectio autem intellectionis in eo maximè conſiſtit, vt per vnam ſimplicem eſsentiam tam varia cognoſcantur; ergo perfectio Angeli in eo etiam erit, vt per pauciores ſpecies plura intelligat.

Addit præterea Caietan. hoc ita verum eſse, vt